



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrvm SS. Gereonis Et sociorum eius: itemque Victoris, Caßij, & Florentij multorumque aliorum: Ex eo quod Helinandus celebris istorum temporum auctor conscripsit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

Tandem verò cum iam bono odore virtutis beatissimi Gisleni, tota esset repleta Ecclesia, sentiens vir Dei obitus sui tempus adesse, cunctis Ecclesie sacramentis ritè munitus, ita è vita excessit ut maximum sui desiderium cum multis lachrymis còiunctum relinqueret. Corpus eius in beatorum Pauli & Petri Apostolorum Ecclesia, quam ipse extruxerat, humatum est: ubi sacris eius meritis morbidi omnes sanitatem recipiunt.

Obitus S. viri, miraculis postmodum celebris.

Vide C. Baron. Annal. Tom. 2. anno Christi 297. Marcel. Papæ 1. Diocle. & Maxim.

Imp 14. 10. Octob.

Amandus Aelianus et Carausius seditionis in ordinem rediguntur.

MARTYRIVM S S. GEREONIS ET SOCIORVM eius: itemque Victoris, Cassij, & Florentij multorumque aliorum: Ex eo quod Helinandus celebris istorum temporum auctor conscripsit.

MAXIMIANVS Augustus, coadunato exercitu, permixto tamen fidelium & infidelium cœtu, festinus Alpium iuga trāsgradiens, Gallie appropinquabat; soloque aduentu suo, Amando & AELIANO ducibus tumultus perterritis, seditionis illius tempestatem facilè sine sui exercitus damno sedabat. Comperto verò quod Carausius quidam nobilis insidias còtra Romani regni fines moliretur (qui tamen Procurator constitutus erat prouincię, quæ est iuxta Oceanum, ubi Franci iam secundo à suis sedibus expulsi, iuxta Gallorum & Saxonum confinia confederunt) misit illuc per Rheni fluminis alueum, partem sui exercitus, cuius militari virtute nefarius cassaretur inceptus. In quo itinere præcipuos belli Domini ducēs, Gereonem, Victorem, Cassium & Flo-

Florentium felices turmæ Christianorum militum sequebantur.

Interea Maximianus ferocissimus Christiani nominis persecutor, & tali tantoque agmine indignissimus ductor, statuto iuxta radicem Alpium Zeli idolo, in loco, quem dicunt, Octodorum, præcepit ut omnis exercitus viri-
tim festiua celebritate cõcurreret, & à supplicatione dijs, ut fatebatur, immortalibus agenda, communiq̃ue lætitia se nempe velut alterius sectator religionis, exciperet.

Verò Gereonium præcesserat agmen, ut nuntium scelestissimi sacrilegij non audiret. Ventum est ad locum constituti flagitij, vbi dum copiosus Romanæ virtutis exercitus, quasi pro religione surdis & mutis idolis inclinaretur, S. Mauricius cum sua legione, in locum spiritualis exercitij secesserat, ut suos commilitones ad futura certamina interim roboraret. Quo cognito Rex, bonorum exitij avidus, primò quidem callidis persuasionibus acie diuinam flectere tentauit; sed cum nihil apud milites Christi, fidei calore ac martyrij desiderio incensos, efficere posset, semel & iterum decimum quemq; militè morti adiudicauit, ac reliquos deinde, cum mori quam cedere mallent, ad vnum omnes truculenter deleri mandauit. Et hæc quidem apud Agaunum oppidum, vbi maxima multitudo sancti exercitus refedit, agebantur.

Indè præcedentium secuti vestigia, repererunt primarios milites Cassium & Florentiũ, cum septem alijs, similis constantiæ viris, iuxta Veronam ciuitatem in ripa Rheni fluminis cõ-
fidetes, aliosq̃ue cum eis quamplurimos eius-

*S. Mauricij
passio habetur
suprà 22.
Septemb.*

*Verona hæc
non est illustris
illa Italice
ciuitas, sed
quæ est in
Gallia vulgò
Bona dicta.*

dem agminis, sed non eiusdem intentionis satellites. Hos dum agnouissent de Orientali fuisse praesidio, fauientes contra eos, de professione sciscitati sunt, Cumque illi nec voluntate cordis, nec sententia responsionis, à superioribus discreparent, submissis capitibus, eodem in loco pro Christi nomine perempti sunt.

*SS. Cassius
& Florētius
cum socijs
trucidantur.*

Mox ergo ad beatum Gereonem, eiusque socios trecentos, decem & octo, cum illo pariter fide veritatis armatos, persecutor nescio velocius, an fama peruenerit. Progressi tamen paululum ante subsequentes carnifices, in campis Agrippinae magnae ciuitatis, martyri gloriam, sese inuicem cohortantes, praestolati sunt. Quibus continuo superuenientes hi, qui missi erant à Iudice, nullam in eis defendendi, vel a proposito deficiendi voluntatem, sed constantissimam nominis Christi inuenerunt confessionem. Ibi beatus Gereon dux & martyr egregius, cum illis Regis aeterni vernaculis, edomitibus omnibus, quae ad huius vitae delectationem possent allicere, semetipsum spontaneus obtulit hostiam uiuam Deo. Infani uero tortores, factorum ibidem corpora cruentantes, per campi illius planitiem traxerunt, & in puteum quandam maximum proiecerunt. Monstratur autem usque hodie in loco, ubi S. Gereon trucidatus est, sanguinis ipsius spectaculum, & ipse locus, Ad Martyres, acceptum ab incolis feruat uocabulum.

*S. Gereon
cum suis
perimitur.*

*Locus, Ad
Martyres.*

Hac itaque dum agerentur, cohors illa, quae beatum Victorem comitabatur, ad locum, cui destinata est, properans, peruenit ad oppidum Francorum, quod ex Maiorum suorum sedibus

bus Troiam siue Xanthum nuncupabant; ibique cum duce suo castra in partis virentibus posuit. Nec minus audaces illi cruentique milites adfuerunt, peremptoque illic fortissimo Christi milite Victore, cum trecentis triginta martyribus, sancta eorum corpora in locis palustribus submerferunt. Tandem optatis locupletati spolijs, cum exercitu reliquo, (quia Carausius ille fugiens sese in Britanniam transtulit) per viam qua venerant, lati pro scelere redierunt.

Cades S. Victoris & 330. martyrum.

Eodem vero tempore, de Mauritania, finitimisque regionibus, milites ab Imperatore propter frequentes Gallorum tumultus euocati, in Galliam nauigio venerunt: quorum trecenti quinquaginta pro fide Catholica trucidati cum beato Gereone eiusque socijs beatorum corporum quietem & venerationem perpetuam delegerunt.

Mauri 350. occiduntur.

Post hac Maximianus Augustus reuersus in Italiam, suadente Diocletiano, vt cum ipso se transferret in ocium, licet inuitus purpuram simul Imperiumque, sed non tyrannidis usum deposuit, & vice sua Constantium virum mitissimum, Italiae, Africae & Gallijs Augustum esse constituit. Galerio vero ceterae prouincię delegatae sunt. Sed Constantius Gallijs Hispanijsque contentus, has magna mansuetudine gubernabat, & Ecclesias Dei nullis molestijs infestabat. Cumque adhuc Maximiano viuente in Britania die obiret, Constantino filio suo prouincias eadem regendas dereliquit. Qui confortatus in Imperio, dum Regni Romani monarchiam per bella maxima obtinisset, legibus Christianae reli-

Constantius fit imperator.

Moritur in Britania, Constantinus filius eius succedit.

religionis per beatum Syluestrum Papam ini-
riatus, beatissimæ Helenæ matri suæ honora-
di & sublimandi sanctorum martyrum sepul-
turas ius & potestatem, ipse per omnem pen-
terram eodem studio occupatus, cōtradidit. Cu-
ius Deo dignæ matronæ in beati Gereonis mo-
nasterio adhuc plurima seruantur insignia; &
qualis ipsa fuerit, testantur ibidem apud eius
memoriam crebrò repetita miracula.

*Collegium S.
Gereonis o-
lim, fuit mo-
nasterium.*

Fecit sanè inter plurima spectabilia suæ de-
uotionis opera, super eiusdem S. Martyris so-
ciorumque eius corpora, (vbi etiam suprâ me-
morati sancti Mauri martyres ad singulare
mœrentium & infirmantium refrigerium re-
quiescūt) insignem structuræ magnificæ & sub-
limis ecclesiam; quam ita metallorum fulgoris
& artificij varietate decorauit, muris etiam
excelsis validisque firmavit, vt nihil suprâ per
omnes illas regiones vel fuisse, vel futurū esse
celebri sermone feratur. Præter quod ligneam
aliquam, vel quæ facilè senio, vel negligentia
cedat, materiam habuisse negatur, cum mar-
moreæ soliditatis ibi tanta copia fuerit, vt o-
pus totum columnarum illius generis firmitu-
dine & pulchritudine fulciretur: aurei verò
fulgoris tantum in ea emicuit, vt musua foris
& intus fulgens elegantia, nomen, Ad aureos
sanctos, sortiretur. Quæ quia per se summo re-
rum auctori placere non potuit, vt adhuc am-
plius & dignius resplēderet, plurimis idoneis
laudis diuinæ præconibus & ministerijs sibi
congruentibus est adornata.

*Ecclesiam S.
Gereonis cō-
dit S. Hele-
na.*

*S. Materni
vita habetur
14. Septemb.*

Igitur Sanctus Maternus Treuirorum epis-
copus, Agrippinæ Coloniae Ecclesiam primus
pastor

pastor dignis gubernaculis rexit; cuius vitam multis claruisse virtutibus, gestorum eius scripta commemorant. Huius sedis antistes nobis cognitorum tertius, S. Seuerini confessoris Christi successor, nomine Euergistus, quadam die, dum capitis dolore nimium cruciatus, ad memoriam beatorum martyrum, Gereonis & sociorum eius, oratum accederet, & adhuc in sancti illius thesauri indicium, fastigium nullum excelleret, versiculum in laudem sanctorum dici solitum, Exultabunt sancti in gloria, ingrediens Ecclesiam inchoauit: cui protinùs ex illo venerabili sanctorum adyto respòsum est, Lætabuntur in cubilibus suis. Quod cum Pontifex stupefactus audiret, laudem Deo repentè cum omnibus, qui aderant, conclamauit: & appropinquans, de loci ipsius puluere capiti suo salutare remedium apposuit, & còsignato cum summa reuerentia loco, recessit. Et quidem talia plurima veridica relatione commemorari possent, si promissi compendij studia non arcerent.

VITA S. CERBONII EPISCOPI POPULONIENSIS. Ex ea qua est per D. Gregorium Papam. Lib. 3. Dial. cap. 11. Excessit ex humanis circa annum Domini 573.

VITA E venerabilis Cerbonius Populoni Episcopus, magna sanctitatis opinione in diebus suis celebris, precipuo hospitalitatis studio deditus erat. Cùm verò die quodam trãseuntes milites hospitio suscepisset & Gotthi superueniètes eos ad necè expectarent, ipse ab eorum nequitia vitam illorum abicon-

S. Seuerini
vita habetur
23 Octob.

S. Euergistis
24. dicti.

Psal. 149.
En miracu-
lum.

S. Euergistus
curatur ex
puluere in
Ecclesia S.
Gereonis.

Vide Tom.
7. Baron.
Annal.

10. Octob.